

memor exsultet prioribus, futurisque jam immineat, ac spes ordinet suas, et dum corpus in praesenti sagina jacet, cogitationes ad futura praemittat. Hoc mihi videtur miserior, quoniam mala pro bonis legere, dementia est. Nec sine sanitate quisquam beatus est, nec sanus, cui offutura pro optimis appetuntur. Beatus est ergo iudicii rectus: beatus est praesentibus, qualiacunque sunt, contentus, amicusque rebus suis: beatus is, cui omnem habitum rerum suarum ratio commendat. Vident et illi, qui summum bonum voluptatem dixerunt, quam turpi illud loco posuerint. Itaque negant posse voluptatem a virtute deduci, et ajunt, nec honeste quemquam vivere, ut non jucunde vivat; nec jucunde, ut non honeste quoque. Non video, quomodo ista diversa in eandem copulam conjiciantur. Quid est, oro vos, cur separari voluptas a virtute non possit? Videlicet, quod omne boni ex virtute principium est. Ex hujus radicibus etiam ea, quae vos et amatis et expetitis, oriuntur. Sed si ista indiscreta essent, non videremus quaedam jucunda, sed non honesta; quaedam vero honestissima, sed aspera, et per dolores exigenda.

VII. Adjice nunc, quod voluptas etiam ad vitam turpissimam venit: at virtus malam vitam non admittit. Et infelices quidam non sine voluptate, immo ob ipsam voluptatem sunt: quod non eveniret, si virtuti se voluptas immiscuisset, qua virtus saepe caret, nunquam indiget. Quid dissimilia, immo diversa componitis? Altum quiddam est virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile: voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio ac domicilium fornices et popinae sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem saepius, ac tenebras captantem; circa balnea ac sudatoria, ac loca aedilem metuentia; mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam aut fucatam, et medicamentis